



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Conventvm Illvm Mantvanvm, Qvo auctore Pio pontifice in praesentia plurimorum regum, principum vel legatorum, actum est de bello contra Turcas suscipiendo, recentiores Concilium esse volunt: sed ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

clesiæ sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia est, filii, hæc credimus & profitemur: hæc iam fenes, & in apostolatus apice constituti, pro veritate asserimus. Si quæ vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tamquam erronea, & iuuenilis animi parum pensata iudicio, reuocamus atque omnino respuimus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Kalendas Maias, anno 1463.

CONVENTVM ILLVM MANTVANVM, QVO auctore Pio pontifice in præsentia plurimorum regum, principum vel legatorum, actum est de bello contra Turcas suscipiendo, recentiores Concilium esse volunt: sed immerito; tum quod vix vnus episcopus interfuisse legatur; tum etiam quod Platina & Chalcocondylas vnus temporis scriptores, non aliter quam conuentum appellent. Non dubito quin Genebrardus in posteriore editione suæ chronologiæ hac de causa sustulerit Concilium Mantuanum, quod in priore editione sub Pio II. collocatum inuenitur.

V I T A  
P A V L I P A P Æ I I.

ANNO  
CHRISTI  
1464.

Quando  
pontifex  
factus.

Platina cur  
a Paulo in-  
carceratus.

**P**AVLVVS nobili genere ortus, Petrus cognomento Barbus antea vocatus, ab Eugenio auunculo per varios honorum gradus ad cardinalatum euectus, Pio mortuo, pridie Kalendas Septembris pontifex creatur, Friderico III. imperante. Abbreuiatores, vt vocant, a Pio in curiam adscitos officio priuauit, inter quos Platina, quod insolentius epistola quadam factum redarguisset, in custodiam detrusus est. Paulus canonicos in basilica Lateranensi collocatos, & a Callisto eiectos, restituit. Legatos ad principes misit, eosque, licet frustra, cohortatus est ad bellum inferendum Turcis, qui vniuersa iam Epiro in potestatem redacta, in Illyricum irruptionem faciebant. Regis Fernandi copiis adiutus, Deiphobum & Franciscum Anguillarix oppressit, eosque tamquam ecclesiæ hostes nouem castellis spoliauit. Hinc ad contentionem